



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.11. Errores Parisiis condemnati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

ra prosequens transmissio Messanæ freto Sacul. XIII.
 Italiam peragrabat. A.C. 1270.

§. XI.

Errores Parisiis condemnati.

Parisiis multos errores, quos aliqui Phi-
 losophiæ ac Theologiæ Professores
 in suis docebant scholis, damnavit Epis-
 copus Stephanus Temperius. Illi sic so-
 nabant. Intelligentia est eadem cunctis
 in hominibus. Voluntas humana agit
 ex necessitate. Quæcunque hic inferius
 fiunt, cælestibus e corporibus necessario
 pendent. Mundus semper, primus ho-
 mo nunquam fuit. Anima, cum sit for-
 ma hominis, una cum corpore corrup-
 pitur. Anima a corpore disjuncta ignis
 corporei vim non sentit. Liberum arbi-
 trium est animi proprietas, quæ non agit,
 sed patitur, & ab objecta sibi re desidera-
 bili non potest non moveri. Deus haud co-
 gnoscit singularia, immo nihil præter-
 quam seipsum. Actiones humanas non
 regit divina providentia. Deus a morte
 & corruptione tueri nequit, quod huic aut
 illi est obnoxium. Episcopus, cum Do-
 ctiores multos convocasset, de eorum con-
 silio cunctos errores illos condemnavit
 die Mercurii ante festum S. Nicolai nem-
 pe tertio Decembris anno 1270. Hic
 cernimus, qua de causa S. Thomas cæ-

Duboulai
to. 3. p. 93. 7.
Bibl. pp.
Paris. to. 4.
p. 1143.

Nn 3 terique

Sæcul. XIII.
A. C. 1271.

terique illius temporis Doctores multas quæstiones agitaverint, quæ hodie non viderentur dignæ, ut afferrentur in medium.

§. XII.

Regis Philippi reditus.

Duch. p. 524. **R**ex Franciæ Philippus in suo per Italiam itinere Romam delatus ad Apostolorum sepulchra pietatem explevit suam. Inde Viterbium venit, ubi Romana curia seu Cardinales vacante Sede sacra residebant. Cumque de cooptando capite non consentirent, urbis Prætor, ut eos ad electionem compelleret, cuiusdam palatio tenebat inclusos. Rex magna illos veneratione invisit, ac per osculum pacis salutavit singulos. Comes habebat Regem Siciliæ suum patrum, multosque Proceres. Omnes Cardinalibus instabant, ut Ecclesiæ celeriter pastorem darent; sic ad duos Galliæ Rectores 14 Martii an. 1271 Rex Philippus scripsit. Qui continuato per Hetruriam, Lombardiamque, ac Sabaudiam itinere Parisios prospere advenit.

Spicil. 2.
p. 571.

Tunc, cum Viterbii esset, etiam Henricus Angliæ Regis nepos, Richardique electi Romanorum Regis filius ibi agebat. Eodem tempore aderat Guido Montefortius filius Simonis Lecestriæ Comitis in civili